

M-s. 1297

an f.

R

2197.6

F. A. H. Maxß
1831 oho

TRIVMPHVS
FILII DEI ASCENDEN-
TIS AD PATREM
SCRIPTVS

A

VITO IACOB AEO.



VVITEBERGAE.

1 5 5 6.



CLARISSIMO VIRO SAPI-
entia, eruditione, & uirtute præstanti
D. Hieronimo Bomgartnero,
mœcenati suo unice
colendo.

CVM spretæ iaceant, & sint sine laude Camœnæ,
Debitus et Musis non tribuatur honos.
Cernimus abiecti qua conditione fruantur,
Qui sacra Pegasei numina fontis ament.
Sed licet ingenuæ spernantur ab omnibus artes,
Nemo Medusæas & ueneretur aquas.
Tu tamen abiectas defendis, & asseris artes,
Docte uir, & sumptu liberiore foues.
Cum fueris etenim primis ueneratus ab annis
Castalium magna sedulitate chorum.
Quantus habendus honos nostro sit tēpore Musis,
Ipse tuæ mentis pro grauitate uides.
Scisq; quod in primis foelix Respublica uernet,
Pierides quando sint in honore Deæ.
Inde fit ut doctos foueas, & sumptibus ornes,
Publica dum patriæ damna cauere studes.
Munere pro tanto gratas decet esse Camœnas,
Quas animi summa dexteritate iuuas.
Et tibi præcipue scio me debere, nec umq;
Me fateor grates reddere posse pares.
Signa sed ut gratam sint testificantia mentem,
Hæc tibi cum nunq; displicuisse sciam.

Primitias

Primitias nostræ tenues tibi consecro Mula,
Quæ celebrant Christi parta trophæa manu,
Otia concedent quare tibi quando quietem,
Talia fac animo scripta fauente legas.
Hæc quia propensa releges si mente, uicissim
Officij gratus debitor huius ero.
Nestoris innumeros cum coniuge uiue per annos,
Floreat & foelix ut tua uita, Vale.

Tuæ excellentiæ
addictissimus

Vitus Jacobæus.

A ij Triumphus

TRIVMPHVS CHRISTI.

Festa triumphantis redeunt solennia Christi,
Cum Stygis euersæ uictor ad astra redit.
Ducit & æthereas secum rediuius in auras,
Quos Acherontææ læserat anguis aquæ.
Munere pro tanto meritas Ecclesia grates
Saluifico Christo uoce sonante canit.
Illius & celebrat deuota mente triumphum,
Quod stygias nostri uicerit hostis aquas.
Hunc decet in primis nostras extollere Musas,
Est per eas etenim laus celebranda Dei.
Plausibus ergo meos etiam communibus addam,
Hæc benefacta meo nec reticebo Stylo.
Christe modo iustas mihi des in carmina uires,
Inq; uacillanti carmine dexter ades.
Cum genus humanum stygijs erraret in umbris,
Et sub inasueti carcere mortis erat.
Christus ut eriperet lapsos è faucibus Orci,
Victima, pro nobis uincula mortis obit.
Mortuus & iustam patris placaret ut iram,
Ipsi effossa membra teguntur humo.
Cumq; sub exiguo tegeretur puluere terræ
Christus, Auernales depopulatur aquas,
Est iter ad stygiam ducit decliue quod aulam,
Ditis ubi bifida regia fronte patet.
Faucibus è primis effunditur halitus ignis,
Infera sulphureas styx ubi uoluit aquas.
Frigore

Frigore commistæ sparguntur in aera flammæ,
 Ac ibi perpetuo tempore regnat hyems.
 Hæc erat obscuris umbris aptissima sedes,
 Manibus hîc uictrix mors sua iura dabat.
 Christus ut hos igitur phlegetontis uinceret hostes,
 Ingreditur stygij limina prima lacus.
 Ecce reluctantur Christo ueniente tot hostes,
 Quotquot Auernalis curia Ditis habet.
 Vndiq; tela uolant hosti minitantiâ mortem,
 Exerit & uires Styx tenebrosa suas.
 Præcipue Satanas peccati suasor, & author,
 Tartaræ cuius iura paludis erant.
 Fulminat, & uirus tetrîs è naribus efflat,
 Atq; sui capitis cornua bina quatit.
 Euomit ore globos, & uertice tangit olympum,
 Vult nec in hæc uictas tendere iura manus.
 Flammeus ex oculis illius promicat ignis,
 Dum sua detrectat subdere colla iugo.
 Ac alias formas assumit, et omnia tentat,
 Et sicut Protheus unda, fit ignis, aper.
 Sed nihil hic fraus ulla iuuat, neq; proficit astus,
 Illius & nullum fulmina pondus habent.
 Nolit inasuetas & quamuis ferre catenas,
 Ingeminet tragicas uictus & ore minas.
 Attamen, ut faciles sparguntur in aera fumi,
 Ipsius in uentos uox ita uana redit.
 Atq; sui nolens priuatur munere sceptri,
 Huius & astricta compede crura sonant.

A iij Mors

Mors etiam cuius nos tela timenda premebant,
Ecce redemptoris sub pede uicta iacet.
Torqueat & uario quamuis sua lumina uultu,
Et doleat regni diruta sceptrata sui.
Non tamen hic profunt quicquid tot fulmina, dextrum
Nec querulis huius uocibus omen inest.
Sic igitur dextra cum uindice coeperat hostes
Christus, & infernas uictor haberet aquas.
Disiicit, euertit, confringit, & omnia uastat,
In chaos ut sparsum rudera fracta cadant.
Intima commotæ trepidabant uiscera terræ,
Tartareas Christo concutiente domos.
Sicut & emisso sub apertos fulmine campos,
Icta repentino terra fragore tremit.
Attonitus subitis quando micat ignibus æther,
Motibus & uarijs tota cietur humus.
Sic etiam tellus commota fragore tremebat,
Cum phlegetontææ corruit aula plagæ.
Elysijs campi qui gaudia læta colebant,
Quid sibi, mirantur, murmura tanta uelint.
Anxius illorum trepidos timor obruit artus,
Nam miseræ cladis conscia signa uident.
Dumque metu trepidant, spes his solatia præbet,
Fataque sperari mens meliora iubet.
Ac ita diuersi sunt inter gaudia luctus,
Dum spes in medio fulget amica metu,
Interea Christus deuictis hostibus Orci,
Elysijs nemoris regna beata petit,

Est lo=

Est locus à Ditis tenebrosa sede remotus,
Viuida Christiadam quem simulachra colunt.
Ver ibi perpetuum campis sua gramina præbet,
Pictaq; purpureo germine terra nitet.
Omnia sponte sua profert ibi terra, nec ullo
Saucia fœcundas uomere fundit opes.
Nectaris & niuei manant ibi flumina lactis,
Ilice de uiridi flauaq; mella fluunt.
Manibus hæc fuerat sedes sacrata beatis,
Quæ uenerabantur corde timente Deum.
Hanc igitur Christus cum peruenisset in aulam,
Cætera maiori lumina luce nitent.
Et sicut tenebris fulget quasi terra fugatis,
Cum sol è patrijs exerit ora uadis.
Hæc loca sic etiam Christi fulgore nitebant,
Omnia diuinæ plenaq; lucis erant.
En Patriarcharum series numerosa sciebat,
Tempora Messiaë læta uenire sui.
Deq; procul Christi uictricia signa uidebat,
Iustaq; Tartareos uincula ferre duces.
Innumeros igitur tollebat in æthera plausus,
Lætitiæ tantæ nec modus ullus erat.
Interea reliquos pius hortabatur Adamus,
Tanta celebrarent ut benefacta Dei.
Læta triumphanti canerent & carmina regi,
Quo reuocaretur uindice lapsa salus.
Talia cum reliquis mandata dedisset Adamus,
Confestim populo Christus ouante uenit.
Excipitur

Excipitur uictor, resonat concentibus æther,
Omnis in applausu nescit habere modum.
Hæc ita cum fiunt, cito lætabundus Adamus,
Ad Christum, uerbis talibus usus, ait:
Salue Christe Dei soboles, & imago parentis,
Qui non principium, trinus & unus, habes.
Læta dies redijt, multos sperata per annos,
Qua plegethontææ robora uincis aquæ.
Nos & adoptatos patrias ducturus in auras,
A stygio redimis pectora nostra iugo.
Hæc nisi uenisset lux optatissima, posthac
Non potuissemus regna uidere Dei.
Mens hominum uitij nam cum polluta scateret,
Nos & Auernalis poena maneret aquæ.
Oppositis stabat cœlorum ianua ualuis,
In superas poterat nemo redire uias.
Ira Dei fontes propter peccata premebat,
Iusticiæ radius debilitatus erat.
Mors homines captos nimia caligine mentis,
Ad stygis infernas præcipitabat aquas.
Vlla nec hanc poterant lenire piacula cladem,
Aut medicas nobis applicuisse manus.
Totus enim mūdus, nec homo, nec & angelus ullus
Placatum poterat restituisse Deum.
Ergo sedebamus damnati mortis in umbra,
Inq̃ loco uitæ tormina mortis erant.
Sed tu nate Deo nostros miserate dolores,
Humani generis iussus obire uices.

Morte

Morte tua mortem deles, liuoreq; sanas,
Maxima quos legis fecerat ira reos.
Et quia mens est iusta patris, iustosq; requirit,
Iusticia iustos nos facis esse tua.
Reddis & amissæ nobis tot dona salutis,
Simus ut æternæ turba beata scholæ.
Vt liceat nobis iterum celebrare parentem,
Atq; pijs uotis sollicitare Deum.
Nam quasi filiolos cum nos mediator adoptes,
Fit precibus nostris auris aperta Dei.
Ergo Deus salue, reparatæ sacra salutis
Ancora, quo iusti iustificante sumus.
Ac ita uictorem cum compellasset Adamus,
Pectore lætanti clamitat omnis: IO.
Exhibitos Christus sed cum uidisset honores,
Lætanti turbæ talia uerba dedit:
Surgite prostrata mecum de morte, redemptor
Vester ego uici fulmina dira stygis.
Me duce uicta iacent captiuæ uincula mortis,
Vindice me uobis cœlica regna patent.
Morte mea mortem uici, phlegetontis & undas,
Offensoq; dedi debita ^{λυτρωσιν} patri.
Auspice me uobis aperitur ianua cœli,
Quæ prius oppositis stabat operta seris.
Sum uia credentes superas quæ ducit in auras,
Inueniet ueram me sine nemo uiam.
Vos igitur mecum uicta styge surgite, uestra
Cum mihi sint stabili pectora iuncta fide.
B Simplicitas

Simplicitate Deum trinum coluistis in una,
Dum regeret uestri corporis ossa uigor.
Vana nec idolis tribuistis numina, sicut
Hæc animo gentes cœcutiente colunt.
Præmia propterea tanta pietate feretis
Digna, dabo uobis regna tenenda patris.
Surgite magnifici pompam celebrate triumphi,
Longior ingressum nec mora tardet iter.
Nam hiberim mortis cum de torrente, reuertar
Victor in æthereas patre iubente plagas.
His ita transactis applaudunt uocibus omnes,
Atq; triumphantes ingrediuntur iter.
Candidior præbet mundo sua lumina Phœbus,
Lucifluumq; sua spargit ab arce iubar.
Florida purpureis se prata coloribus ornant,
Pictaq; diuerso germine terra uiret.
Splendida totius mundi quasi machina fulget,
Induit & speciem luce nitente nouam.
Suauifonis uolucres concentibus æthera mulcent,
Lætq; faultrici carmina uoce canunt.
Interea tanti celebratur pompa triumphi,
Clarus & incedit uictor honore nouo.
Et ueluti Romæ si quis superauerat hostes,
Ut sua subijcerent subdita colla iugo.
Ausoniam uictor, populo spectante, per urbem
More triumphali, uectus ouabat equo.
Ac aliqui currum comitati signa ferebant,
Exutusq; suis uestibus hostis erat.

In capi-

In capitolinam tandem cum uenerat arcem,
Qui modo uictori foedere iunctus erat,
Exuuias hostis spoliatas inde ferebat,
Denicq; laudabat mente fauente Deum.
Omne quod dextro uictoria parta fuisset,
Libertasq; Deo uindice tuta foret.
Inde triumphanti populus Pœana canebat,
Præmia nam uirtus digna labore capit.
Sic etiam recipit cū Christus ab hoste triumphum,
In curru, populo uectus ouante, uenit.
Electiq; gerunt iuuenes erepta Trophæa,
Armaq; quæ stygio uictor ab hoste tulit.
Chirographum uictæ, dependet ab arbore, legis,
Iure facit stricto nos nec, ut ante, reos.
Præterea currum capti comitantur & hostes,
Ius Acherontæi qui tenuere lacus.
Ac ibi præ reliquis Satanus, regnator Auerni,
Hirsutus, capræ cornua more gerit.
Iactat ad astra globos, truculentos spirat & ignes,
Dum dolet hæc Christi se iuga dura pati.
Hunc mors consequitur iaculis insignis, & arcu,
Mortua uis cuius debilitata iacet.
Hæc sua terribili distendit guttura rictu,
Restat & in toto corpore nulla cutis.
Ipsius ut tenui filo consuta uidentur
Ossa, nec intrepidè, ne cadat, ire potest.
Romanæ, sequitur mortem, lupo ipse cathedræ,
Bestia quæ nomen pontificale tenet.

B ij

Tempora

Tempora triplicibus cuius sunt cincta coronis,
E spinis nexum qui diadema gerit.
Ipsius abraſo capitis de uertice pendent
Eumenides, laniant huius & ungue genas.
Post papam ueniunt maledicta catharmata mundi,
Veste cucullata rafaq; monſtra, lupi.
Hanc ſeriem tandem uaſtator Turca ſequutus,
Sub præſens Chriſti cogitur ire iugum.
Ordine digeſtos omnes recitabo nec hoſtes,
Damnati poenas qui ſubiſcere graues,
Si quia complecti conarer carmine quosuis,
Deficeret breuior uocibus hora meis.
Crimina ſic meritis penſantur atrociam poenis,
Serius & maior poena luenda uenit.
Sed niuea currum præcedunt ueſte Prophetæ,
Lætæq; currenti pollice plectra mouent
Atq; triumphanti cantant dulciſſima Chriſto
Carmina, dum pulſant fila ſonora lyræ.
Hos & Apoſtolicus comitatur in ordine cœtus,
Vox Euangelij cuius ab ore ſonat.
Pars cytharas tractat, pars æris cornua flexi,
Parſq; mouet manibus tergora tenſa bouum.
Pars etiam Chriſti depingit carmine laudes,
Diuerſoſq; facit tibia tacta modos.
Organa, naba, lyræ reſonant concentibus, omnes
Et fremitu ſummo uociferantur: IO.
Ac celebrant Chriſti tanta cum laude triumphum,
Huius honorifice nomen in aſtra ferunt.

Quod

Quod fuerit lapsæ dux, fons, & origo salutis,
 Nostra reuertatur quo mediante salus.
 Vulnera per cuius liuorem nostra tegantur,
 Iusti sidereas ut teneamus opes.
 Victor in ætheream sed cum peruenerat arcem,
 Humani generis captus & hostis erat.
 Exuuias ibi distribuit pro more triumphii,
 Simus ut & laudis pars aliquanta suæ.
 Doctores alios nobis largitur, ut ore
 Intrepido doceant relligionis opus.
 Pastores alios donat, sanctosq; prophetas,
 Crescat ut in uerbo uera propago suo.
 Sanctus & in primis nobis donatur ab illo
 Spiritus, ut mentes sanctaq; corda regat.
 Est etiam nobis donata remissio culpæ,
 Vt sint iustifica pectora iusta fide.
 Cum patris offensi iustamq; remouerit iram,
 Hæredes regni nos iubet esse sui.
 Omnia damnantis uicit quia uincula legis,
 Ad superos nobis & patefecit iter.
 Vult & ut ipsius credentes facta sequamur
 Nos ad idem, mortis si uocet hora, iugum.
 Atq; resurgamus de uictoc carcere mortis,
 Simus & æthereæ ciuica turba scholæ.
 Et nos morte sua testabitur esse redemptos,
 Quando Dei fontes stabimus ante thronum.
 Tanta triumphator largitur munera nobis,
 Æthereæ uictor cum sit in arce plagæ.

B iij

Interea

Interea reliqui sincero pectore grates
Æterno patri, non simulanter agunt.
Hoc duce quod fuerit uictoria parta, quod hostes
Supplicium poena conueniente luant,
Præcipue Christus reparatæ ianua uitæ,
Excubias proprio pro grege pastor agit.
Ante patrem pro quo simul intercedit, & orat,
Atq; sua partas morte tuetur oues.
Nos etiam præsens defendit, & ipse gubernat,
Et pia diuino numine corda regit.
Munere pro tanto grates reuerenter agamus,
Nostræq; sint summo pectora grata Deo.
Quod mediatrici nos morte redemerit, esset
Quilibet ut saluus iustificante fide.
Christe triumphator, stygij superator Auerni,
Qui Phlegetontææ uincula tollis aquæ.
Accipe quas agimus toto tibi pectore grates,
Accipe depromunt quæ tibi uota pijs.
Victa quod infernæ fuerint tot monstra paludis
Te duce, quo redijt uindice nostra salus.
Hæc nisi nam curæ soli tibi Christe fuisset,
Atq; redemisses nos bonitate tua.
Præda fuisset tandem sperata Draconis,
Nemo caput stygijs exeruisset aquis.
Te duce sed nostræ labis peccata teguntur,
Redditur offensi lenis & ira patris.
Ad superos cum non prius aspirare liceret,
Esset & æthereæ ianua clausa uiæ.
Te duce

Te duce fit nobis aditus, te præside patris
Denuo placati regna beata patent.
Soluimus ergo tibi deuoto pectore grates,
Sanguine quod sumus turba redempta tuo.
In nobis etiam posthac tibi collige cœtum,
Laus tua lactenti cuius ab ore sonet.
Coelica diuini mysteria protege uerbi,
Spargantur Satanæ ne qua uenena dolis.
Reddeç̃ speratæ florentia tempora pacis,
Vt tuus hoc placido tempore crescat honos.
Sæuiat & quamuis in tanto turbine mundus,
Et uelit oppressum nomen id esse tuum.
Tu tamen abiectam defendas Christe Sareptam,
Halcyonum præbens hospita tecta pijs.
Morte vocante tuas donec migremus in auras,
Ac ibi promissas possideamus opes.

F I N I S.



Te dicit serapis aditus, te puer de patris
Duo placuit regna beata parente
Sed quae tibi dicitur peccata gratia
Sanguis quod hinc est haec redemptio tua
In nobis curia posthac ubi collige coram
Lana in lactem cuius ab ore tunc
Cortice dicitur in terra prope uerbi
In pariter, pariter in quo uerba dicit
Redde pueri, in omnia tempora patris
Vt tunc hoc placido tempore erit honor
Sicut & dicitur in tanto turbine mundus
Et uelie opificum non enim id esse tunc
Tu tamen abicitam dicitur Christus dicitur
Hic uerum patris hinc hinc hinc hinc
Morte uocant tunc donec uigilant in auras
Ac tibi promittas possidemus opes

F I N I S



153028

AB: 153028

ULB Halle

3

003 486 044



86



[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, possibly Gothic or Carolingian minuscule. The text is arranged in columns and includes several large, decorated initials in red ink. Some lines are underlined with red ink.]





TRIVMPHVS
FILII DEI ASCENDEN-
TIS AD PATREM
SCRIPTVS

A

VITO IACOBÆO.



VVITEBERGÆ.

1556.

